



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XXX. Bischof Dieterich von Brandenburg bestätigt den von dem Kaland in
der Nicolai-Kirche zu Burg dotirten Altar des heiligen Dionysius, am 18.
October 1349.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XXX. Bischof Dieterich von Brandenburg bestätigt den von dem Kaland in der Nicolai-Kirche zu Burg dotirten Altar des heiligen Dionysius, am 18. October 1349.

In nomine domini Amen. Theodericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, — — publice protestamur, Quod discreti viri fratres kalendarum in borch ob reuerentiam omnipotentis dei, catholice fidei exaltacionem et animarum suarum salutem, de consensu Venerabilis patris pie memorie domini Ludewici predecessoris nostri et eius voluntate deuotissime dotauerunt altare sancti Dyonisij, in ecclesia parochiali sancti Nicolai in opido borch situm, ad celebrandam in eo cottidie missam ipsorum ac benefactorum suorum memoriam perpetue peragendam, Eidem altari Tres choros duri frumenti scilicet siliginis et ordeï et quatuor modios cum dimidio eiusdem frumenti super duos mansos in campis ville Recel et duas curias, quarum vna dicitur eyn kozstehof, iacentes, quas seu quos pro nunc colit Henninghus de Penninghestorp villanus ibidem in Recel, totaliter Absque omni prestatione precariarum, exactionum et angariarum ac cuiuslibet oneris liberos, nec non vnam curiam habitabilem intra opidum borch prope ecclesiam sancti Nicolai ibidem ac quinque iugera minus vno quartali agrorum arabilium prope opidum borch predictum sita libere et voluntarie dotis nomine assignantes hoc modo, Quod quocumque huiusmodi altare vacare contigerit, predictorum fratrum kalendarum in borch Decanus, qui pro tempore fuerit, vno viro ydoneo de confratribus kalendarum in borch et non aliunde conferre et ipsum nobis aut nostris successoribus presentare debet pro institutione canonica obtinenda, Non obstante clausula illa in confirmacionis priuilegio fratribus kalendarum predictis per dictum dominum Ludewicum super eorumdem fratrum fraternitate concessa, contenta que sic incipit: Quicumque vero ydoneus per Decanum dictorum fratrum ad aliquod predictorum beneficiorum seu altarium conferendum plebano in borch legitime presentatus fuerit, idem plebanus ad dictum beneficium seu altare auctoritate nostra ordinaria instituere canonice non postponat. Hanc quidem clausulam nostre ordinarie potestati derogantem presentibus reuocamus et penitus abolemus. Cetera vero omnia in dicto priuilegio ipsis fratribus kalendarum concessa specialiter et contenta in suo robore volumus permanere. Missam vero dicti altaris presbiter seu vicarius eiusdem infra summam missam frequentius celebrabit, Ita tamen quod si plebanus ibidem missam ratione funeris presentis necessario habuerit celebrandam, debet idem presbiter uel ipsi plebano pro tunc beniuole suffragari. Oblationes etiam seu votiuę, si que ad altare predictum uel ad manus presbiteri supradicti fuerint exhibite et delate, domino plebano in borch, ne ipsum contingat in iure parochialis ecclesie defraudari, sine diminutione qualibet presententur. Idem presbiter plebanum predictum post institutionem accedat promittendo eidem seruare fidelitatem juris parochialis ecclesie de uotiuis et oblationibus supradictis. Nos igitur Theodericus, dei gratia episcopus supradictus, omnia et singula premissa grata et rata habentes ea laudamus, approbamus et auctoritate nostra ordinaria honorabilium virorum dominorum prepositi, prioris ac totius conuentus ecclesie Sancte Marie in Magdeburgh ordinis Premonstratensis nec non domini nunc plebani in borch eiusdem ordinis consensu ac beniuola voluntate accedentibus, in nomine domini presentibus confirmamus. Predicto quidem Decano et cuiuslibet in predictorum fratrum kalendarum in borch decanatus officio successiuis temporibus constituto de iure patronatus dicti altaris auctoritate nostra ordinaria prouidemus sibi que dicti altaris ius patronatus presentibus referuamus nunc et perpetuis futuris temporibus quiete et pacifice possidendum. In cuius confirmationis prouisionis et consensus testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum.

Et nos Petrus prepositus, Conradus Prior Totumque capitulum sancte Marie in Magdeburg Et ego Petrus plebanus parochialis ecclesie in borch ordinis predicti, consensum voluntarium et plenum perpetuo duraturum dedimus et damus ad omnia et singula supradicta, quod sigillis nostris nostrique capituli presentibus appensis recognoscimus publice protestantes. Actum et Datum in castro Seyezeze, Anno domini M^o. CCCXL nono, ipso die beati luce Ewangeliste, Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Gerhardo de heydebrake canonico ecclesie Magdeburgensis et officiali curie eiusdem, Ottone de Prentzlaw officiali curie nostre, frederico nostro notario, Ghotshalco plebano in Vrysak presbiteris, Conrado blyuotz et Cristiano de Nuwenborch publicis notarijs, bernhardo apothekario et johanne aderstede clericis, Hinrico de Oweltuelt eue in Magdeborch et Syffrido hurer opidano in borch et quam pluribus alijs fide dignis.

Nach dem Original des Stadtarchives zu Burg Nr. 96.

XXXI. Bischof Dieterich von Brandenburg bestimmt, wie es mit dem Patronat über die St. Jacobscapelle zu Burg gehalten werden soll, am 18. October 1349.

In Nomine domini Amen. Theodericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie Episcopus etc. — publice protestamur, Quod cum capella beati Jacobi apostoli quondam extra muros opidi borch, nunc vero intra limites ecclesie parochialis eiusdem opidi constituta, iam dudum tam rectore quam diuinorum celebratione esset ac etiam fuisset destituta, strenuus miles dominus Conradus dictus Pyrzek bone memorie ad ampliacionem cultus diuinj ac specialem deuotionem, qua prefatum apostolum prosequeretur, duos mansos ante predictum opidum situatos totaliter ab omni prestatione precariarum exactionum et angariarum ac cuiuslibet oneris liberos in remedium animarum suorum progenitorum, sui ipsius, vxoris sue necnon suorum heredum in sustentationem Rectoris dicte capelle dotis nomine assignauit, de consensu et voluntate Venerabilis patris pie memorie domini Ludewici predecessoris nostri, qui etiam Quatuordecim solidos denariorum Magdeburgensium annui census intra opidum borch et ante ipsum sitos ex elemosinis fidelium in dicta capella quondam collectis comparatos eidem capelle perpetuo deputauit hoc modo, Quod prefati militis veri ac legitimi heredes jus patronatus in dicta capella nunc et perpetuis futuris temporibus obtinebunt. Et quamuis prefatus miles ad placitum suum et de iure sibi per dominum Ludewicum nostrum predecessorem predictum specialiter reseruato ad capellam predictam vnum ydoneum nuper legitime presentauit, Nunc vero quocumque huiusmodi capellam vacare contigerit in amplius, dicti militis veri et legitimi heredes vnum virum ydoneum de confratribus kalendarum in borch et nullum aliunde nobis aut nostris successoribus presentare debebunt. Si vero prenominati militis veri heredes absque liberis decederent, quod deus auertat, Extunc quocumque huiusmodi capellam vacare contigerit predictorum fratrum kalendarum Decanus qui pro tempore fuerit eandem capellam vni viro ydoneo de confratribus kalendarum in borch et non aliunde conferre et ipsum nobis aut nostris successoribus presentare debet pro institutione canonica obtinenda, Non obstante clausula illa in confirmationis priuilegio fratribus predictis per dictum dominum Ludewicum super eorundem fratrum fraternitate concessa, contenta, que sic incipit etc. wie in der